

## QUI POTIORES IN PIGNORE HABEANTUR.

### 8.18.1

*Imp. Severus et Antoninus AA. Secundo.*

Qui pignus secundo . loco accepit, ita ius suum confirmare potest, si priori creditori debitam pecuniam solverit aut, cum obtulisset isque accipere noluisset, eam obsignavit et deposuit nec in usus suos convertit.

*PP. k. Febr. Laterano et Rufino cons.* [a. 197]

### 8.18.2

*Imp. Antoninus A. Chresto.*

Si decreto praetoris, qui de fideicommisso ius dixit, in possessionem fundi hereditarii fideicommissi condicionalis servandi gratia prius inducti estis, quam adversarius vester in causa iudicati eiusdem fundi pignus occupavit iussu eius, qui iure sententiam exsequatur, tempore potiores estis, nam cum de pignore utraque pars contendat, praevalet iure, qui praevenit tempore.

*PP. V id. Mai. duobus Aspris cons.* [a. 212]

### 8.18.3 (4)

*Idem A. Silvano.*

Cum rem publicam Heliopolitanorum propter emolumentum sententiae in rerum tam heredis quam hereditiarum possessionem missam esse proponas, intellegis, quamvis pater tuus cum Sossiano contraxerit, tamen, si personali actione eum habuit obligatum, praeponi rem publicam iure pignoris, quae ex auctoritate eius qui iubere potuit servandi iudicati causa occupavit.

*PP. V id. Dec. Laeto II et Cereale cons.* [a. 215]

### 8.18.4 (3)

*Idem A. Varo.*

Si fundum pignori accepisti, antequam rei publicae obligaretur, sicut prior es tempore, ita potior iure.

*PP. V id. Oct. Antonino A. IIII et Balbino cons.* [a. 213]

### 8.18.5

*Imp. Alexander A. Septimio.*

Prior quidem creditor compelli non potest tibi, qui posteriore loco pignus accepisti, debitum offerre: sed si tu ei omne quod debetur solveris, pignoris tui causa firmabitur.

*PP. III k. Mai. Maximo II et Paterno cons.* [a. 233]